Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 883
Quelle:
Copyright:

tuor beatitudines legitur (leguntur) *quia quatuor uirtutes cardinales in ipsis continentur. Candes latine dicitur. iste quatuor beatitudines ostendunt quatuor partes mundi.* Manet tamen difficultas τȣ *Caudes* sive *Candes*, nisi dicas legendum *Cardines*, aut cum Gemetic. corruptum graecum καρδιας. Atque haec innuisse sufficiat ad consanandas vetustas has *Pseudohieronymi* Adnotationes olim animum adjecturo, quae hac miniata formula terminantur: *Explicit Expositio Sancti Hieronimi Presbiteri IIIIor Euangel. De Breui Prouerbio Edita.*

II. *fol.* 60. eadem Sec. X. manu sequuntur: I. Locus de *Antichristo* ex Apocalypsi hoc initio: *Judex iniquus id est antichristus. qui deum non timet quia superbus est* &c. II. *Incipiunt Sententias De Floratibus* (Floretis, Florilegiis) *Diuersis.* Catechesis videlicet de Natura et Creatione Hominis, de praecipuis Fidei Capitibus, deque omnibus sacris V. et N. T. Libris, cujus initium: Int. *Homo per quid dicitur?* Resp. *Homo dicitur ab humo quia de limo terre formatus est.* &c. III. Locus *Augustini* de Monstris, qui c. 8. L. XVI. de *Civ. Dei* est. IV. Ritus conjurandi Tempestates.

III. *fol.* 68. manu Sec. XIV. *Incipit tractatus Raby samuelis Israbelite per quem probatur aduentus christi siue Messye dudum preteritus per dicta ueteris legis et prophetarum que iudei recipiunt.* Praeit interpretis *Alphonsi Bonihominis* O. P. Dicatio, ut *Cod.* DCXV. quo te refer.

Codicis extremo a Compactore adtexta est Lacinia membranea Sec. fortasse VI. versus aliquot L. *Numeror.* c. 26. charactere unciali perpulcro exhibens, nec illos Interpretationis *Hieronymianae.*

CCLV. VII. C. 7

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 98. f. nitide exaratus, rubricisque distinctus continet I. Commentaria in *Marci* Evangelium *Hieronymo* subposita. Praecedit Index hoc rubro: *Incipiunt Capitula Secundum Marcum dicta per hieronimum.* Haec tamen Capitula per Operis decursum nullibi indicantur, sed totum Opus in *duas*, quod singulare est, *Homilias* dividitur, suffragante, qui in antica thecae parte scriptus est, titulo: *Jeronimus super Marcum in duabus omeliis.* Incipit vero *Omelia Secunda* ad *Marci* C. XII. ab illis verbis: *Mulier sterilis non relinquens semen* &c. Post indicem *Incipit expositio beati Hieronimi in Marcum Ev. Incipit Prologus. Omnis Scriba doctus in regno celorum* &c. Et sic reliqua, ut nobis *Cod.* CCXLVII. n. 2. et editionis *Vallarsianae Opp. Hier.* T. XI. p. 783. 164

II. *fol.* 22. *Incipit liber episcopalis in quo continentur acta beatorum pontificum urbis romę. Incipit epistola beati hieronimi presbiteri ad beatissimum damasum episcopum*